

LXXX.


Tandem in legitimorum parentum sive adoptivorum
 successione, eadem distinctione utimur, quâ supra in legiti-
 mis descenditibus usi sumus. Vel enim quærimus parens
 arrogator filio arrogato quomodo succedat, & dicimus PUBE-
 RI æquè ut filio legitimo & naturali eum succedere §. 2. *vers.*
mortuo autem Inst. de acquisit. per arrogat. l. pen. §. fin. C. de ad-
opt. Vide eleganter quædam hic notata apud *Ambr. Schürer.*
de success. ascend. ampl. 7. Matthesyllan. de success. part. 2. nu. 7.
 Diximus verò *puberi*, impubes enim arrogatus si decedat, bo-
 na ejus restituenda sunt illis, qui ad successionem illius ven-
 turi fuissent, si arrogatio nunquam facta esset §. *cum autem 3.*
Inst. de adopt.

LXXXI.

In casu adoptionis, si parens adoptans extraneus sit, illum
 filio adoptato non succedere volunt *per text. l. pen. §. 1. C. de*
adopt. §. sed ea omnia 14. Inst. h. t. vers. quando parens. Forster.
lib. 7. success. c. 18. in pr. Non hic itaque vicissitudinaria est suc-
 cessio, sed exceptio à regula.

LXXXII.

Secundò, si adoptans sit aliquis ex ascenditibus, omni-
 nò huic adoptato æquè ut naturalis pater succedit, quippè
 cum duo hoc casu vincula concurrant, quæ fortius uno liga-
 re solent *authent. Itaque C. comm. de success. ubi Interpp. facit*
huc l. pen. C. de adopt. vers. si pater. Adde Nic. de Ubald. hic. n. 26.
Oldendorp. p. 13. De Matris successione in hoc casu nihil quic-
 quam addamus, quòd illa regulariter istiusmodi liberis non
 succedat, quippe cum adoptare non valeat, absque Principis
 privilegio. §. *fæmina. Inst. de adopt.* Hoc itaque modo secun-
 dus se cognatorum ordo habet.



De

SUCCESSIONE

COLLATERALIUM.

D 3

LXXXIII.